

nullam sententiam, quae lata erat post appellationem interpositam à coarctatione dilationum à jure praescriptum, cum tali casu appellatio sit legitima.

XXVI. Idemque est (ait Gonzales num. 193. & 194. si appellatur à citatione, continente breviorum terminum, quam sit opportunus; vel appelletur à citatione ad locum non ratum.

XXVII. Eodem fundamento appellari potest à dilatione juramenti alteri Parti à Judice facta. Item si Judex se pronuntiet competentem aut incompetentem, expressè vel tacite ad ulteriora procedendo.

Plurimi alii casus, quibus potest ab interlocutoria, etiam post Decretum Concilii Tridentini, appellari, referuntur apud Gonzales, & alios ab ipso citatos.

XXIII. Quae omnia evincunt, quam obvia sit, etiam post restrictionem à Concilio Tridentino inductam, appellandi copia iis, qui lites & quaestiones eternizare volunt: praesertim si attendatur, quod non tantum in prima instantia occurrat praedicta libertas appellandi à sententia interlocutoria; sed etiam in secunda & tertia instantia: quas singulas haud difficile fuerit vitiligatoribus, & Curiarum tabulis, per interpositas appellationes in plurimos annos protrahere.

XXIX. Accedit, quod etiam juxta modernam disciplinam liberum sit in Curia Ecclesiastica à sententia sive definitiva, sive interlocutoria vim definitivae habente, cujus gravamen per appellationem à definitiva non est reparabile, toties appellare, donec habeatur res sententiae conformes. Ideoque si ab aliqua interlocutoria sit appellatum, debet principalis processus sisti, quoad usque per tres sententias conformes, si toties Partes appellare voluerint, quae sit decisa fuerit.

XXX. Verum quidem est, de Jure Canonico non posse nisi secundò ab eadem sententia appellari, Cap. 39. & 65. De Appell. idq; conformiter ad Jus Civile sub titulo Codicis. Ne liceat in unæ ad eamque causa tertio provocare. Verum illud intelligendum est de una eademque persona, ut scilicet eadem Pars non possit nisi secundò appellare; sed institui possunt super eadem causa, eodemque Decreto quatuor appellationes, duæ scilicet ab utraque Parte.

XXXI. Porrò quatuor his appellationibus respondebunt quatuor sententiae, quae cum sententia lata in prima instantia erunt quinque sententiae, ultra quas nulla amplius expectanda erit; sententia illa executioni mandabitur, cui duæ aliae fuerint conformes; sive à qua fuit appellatum, & bis confirmata.

XXXII. Exemplo res clarius patescit. Petrus in prima instantia sententiam obtinuit, Joannes Pars adversa appellat. Judex appellationis sententiam priorem retractat. Ab hac sententia Petrus appellat. Hic Judex primam sententiam confirmat, & retractat secundam. Rursus Joannes appellat. Judex hic iterum retractat sententiam latam in prima instantia, & confirmat latam in secunda instantia. Petrus ab hac sententia appellat. Hic tandem primam rursus sententiam ratificat.

Itaq; reperiuntur quatuor appellationes; duæ nimirum interjectae à Joanne, & duæ à Petro. Sunt autem quinque sententiae computatae sententia lata in prima instantia; quae sententia cum sit per duas sententias confirmata, reperiuntur sententiae conformes in favorem Petri; cui per consequens sine ulteriore appellatione victoria cedit; & prima sententia transit in rem judicatam.

XXXIII. Si Petrus in prima instantia pro se sententiam obtinet; hacque sententia in secunda & tertia instantia per Joannem intervenit; confirmata fuerit, nulla ulterior appellatio intervenit; sed prima sententia per duas conformes confirmata transibit in rem judicatam: quia scilicet in eadem causa jam sunt tres sententiae conformes.

XXXIV. Itaq; quatuor appellationes admittuntur, ubi sententia ita inter se discrepant, ut ante datam quintam sententiam non reperiantur tres conformes.

XXXV. Si autem post 2. vel 3. appellationes habeantur tres sententiae conformes, ulterior appellatio non admittetur;

sed sententia executioni mandabitur, non obstante quacumque oppositione, etiam ex capite nullitatis; ut dicitur in Clem. 1. de Sent. & re Judic. ubi dicitur: " Ut calumniis litigantium occurratur, is, qui in beneficiis, vel aliis, vis causa tres contra se in petitorio vel possessorio sententias reperit. vit, ad agendum de nullitate ipsarum, vel alius, cujus ex eis nullatenus admittatur, donec hujusmodi sententiae fuerint executioni mandata."

Hoc jus relatum quoq; fuit in Pragmaticam Sanctionem; atq; ex hac in Concordatum inter Leonem X. & Francisc. I. Regem Galliarum. De Fivolis appellat. §. Prohibuimus; nimirum quoad appellationes à sententia definitivis.

XXXVI. Quoad autem appellationes ab interlocutoria, volunt secundam sententiam conformem executioni mandandam esse, quacumque appellatione interposita non obstante: asseritque Rebuffus in commentario ad hunc textum, pronuntiatum fuisse in Senatu anno 1542. contra scriptum impetratum post interlocutoriam confirmatam, ut abusive impetratum & concessum.

XXXVII. Testatur quoq; ibidem, quòd anno 1543. Cardinalis Ferrariensis " appellans contra tres sententias conformes ad Senatum tamquam ab abusu, dicens citationes non valuisse, non fuerit receptus, sed fuerit ad emendam condemnatus." Addit praeterea Rebuffus: " Et ideo post tres sententias coram Judicibus Ecclesiasticis latis conformes, vidi impetrari litteras à Cancellaria directas Scellicho, aut Bailivo seu Governatori, Judici Partium, in quibus mandatur ipsis, ut has sententias exequantur, non obstantibus oppositionibus, & appellationibus; si constaret eidem de dictis tribus sententiis definitivis conformibus, vel duabus interlocutoriis."

XXXVIII. Sententiarum autem conformitas adesse dicitur, quando est conformitas sive identitas rei, causae, & personarum, sive verè, sive interpretativè. Quia si una sententia sit contra Petrum, & secunda contra ejus heredem, qui causam defuncti resumpsit, censetur identitas personae interpretativè: eò quòd haeres interpretatione juris sit eadem persona cum defuncto. Vide Salgado De Processione Reg. parte 3. cap. 16. num. 26. 27. & 28. & ibi citatos.

Notat insuper ibidem num. 29. ex Covarruvia Pract. qq. c. 25. n. 6. quòd dum ultima sententia duabus aliis est conformis, easq; confirmans, " adjecto tamen aliquo moderamine aut aliqua declaratione, quae prioribus aliquid addat, & sic quando per tertiam sententiam infertur novum gravamen, & condemnat in id, de quo prima sententia minime tractaverit, quoniam ab hoc novo gravamine licet iterum per condemnatum appellatione emittatur, eique est defendendū omnino, respectu dumtaxat illius novi additamenti, licet sententia, quatenus cum aliis sit conformis, exequenda est, etiam pendente appellatione ab hoc novo gravamine, cujus respectu haec ultima diversa est à prioribus."

Addit n. 53. ex Elcacia De Appellat. quòd hoc casu sententia, quae pro una parte est appellabilis, non considerabitur ut individua, sed ut dividua. Deinde fufius examinat, quae sententiae dicendae sint conformes, aut discordantes.

XXXIX. Interim illud indubitatum est, etiam hodie post Decretum Conc. Trid. secundò appellari posse à sententia definitiva, & quacumq; sententia interlocutoria, & gravamine, quae per sententiam definitivam, aut appellationem à definitiva plene reparari non possunt. Insuper quòd requirantur tres sententiae conformes, priusquam vel sententia definitiva, vel similis interlocutoria in rem judicatam transeat, & plenam executionem habeat, si pars adversa toties appellare voluerit.

XL. Si quis expendat, quantum temporis requiratur, ut hujusmodi tres sententiae conformes obtineantur; & quàm facile sit & obviū, praesertim Vitiligatoribus, & injustam causam foventibus, appellationes à decretis, quae in progressu litis feruntur, multiplicare, nequaquam mirabitur, jurisdictione Ecclesiasticam ob hanc frequentiam appellationum adeo prolapsam, causaq; passim omnes ad tribunalia Regia devolvi, ubi citra ulteriorem appellationem, si suprema fin

aut saltem post unam appellationem, si Provincialia dumtaxat sint, finis controversiae speratur, ubi contra in curia Ecclesiastica obmultiplices has appellationes, litigantes facilius sperare possunt finem vitae, quàm finem causarum.

XLI. Haec appellandi facultas non tantum in causis civilibus; sed etiam criminalibus obtinet. Nam si jus Commune, seu Civile, seu Canonicum attendamus, aequè in criminalibus, quàm civilibus appellatio admittitur. Cumque appellationes in foro Ecclesiastico tantopero viderentur multiplicatae; earumque interpositiones, crimina quantumvis gravissima manerent impunita, frequenter etiam cum notabili republicae & politici regiminis perturbatione factum, ut Regii judices se nonnullis causis criminalibus Clericorum immiscere, earumque cognitionem sibi attribuerent caperint; ut supra tit. 3. c. 2. ostensum est. Quomodo autem Canones, ac novissimè Synodus Tridentina cavere voluerint, ne per frequentes appellationes, Praelati in corrigendis subditorum excessibus non impedirentur c. 3. videbitur.

XLII. Moribus hodiernis passim receptum est, à sententia criminali in foro saeculari non appellari; ac notanter in Brabantia cautum Edicto Caroli V. de 14. Maji 1530. extat parte 1. Edict. Brabantia lib. 2. tit. 2. c. 4. & tursus confirmatum Edicto Philippi II. de 9. Julii 1570. ars. 64. extatq; parte 2. Edict. Brab. lib. 2. tit. 3. c. 1.

Idipsum & in Flandria obtinere declaratum 17. Novemb. 1517. & de hac Flandria consuetudine testatur Damhouderus in Praxi rerum crimin. c. 151. n. 2. idque in Concilio Flandriae observari asserit, etiam si Rei proprio ore nil confessi sint, modò legitimā, dignā, certaque probatione convicti fuerint; atque ita in eodem Concilio judicatum fuisse dicitur.

In Flandria vero alii Senatibus (ait Damhouderus n. 4.) nequaquam obediunt aut deferunt appellationi in materiis criminalibus, maxime in definitivis: quòd in iis nemini corporaliter punire possint, nisi ex propria confessione, aut convictum.

Nec etiam admittunt reformationem hujusmodi definitivarum (pergit Damhouderus) ob eandem rationem: quòd tamen subinde permitunt in sententiis exiliorum. Nam hoc casu Domini de Concilio largiuntur & expeditem faciunt, se tuto & liberè posse recipere, & ite per totam Flandriam, excepto tantum loco, ubi exiliis sententiam accepit.

Belgicae praxi plerisque aliorum mores conformes esse ostendit Christianus in notis ad Bugnyonium De Legibus abrogatis lib. 2. c. 146. Et Covarruvia Pract. qq. c. 23. nu. 5. ait: " Ubi forensis appellatio Hispanos, & ferè toto in Orbe Christiano haecenus obtinuit, ut in criminalibus, quoties corporalis poena est infligenda, appellatio minime admittatur ad executionem impediendam, sive quis damnetur, ex propria confessione, sive testibus tantum fuerit convictus."

Verum addit ipse Covarruvia: " Quem usum ipse probare nequeo, nec opinor probari jure posse. Idcirco Judices, aut aemones, ut priusquam exequantur criminales sententias, cautissimè singula expendant. Pote rit enim contingere, quem falsis testibus convictum fuisse, aut iniquissimā ac crudeli admodum quaestione inductum & coactum esse crimen de se falsum: cujus rei veritas forsitan apud appellationis Judicem constare poterit."

* * *

CAPUT II.

De Forma interponendae, & prosequendae appellationis, fatalibus & Apostolis.

- 1 Debet de jure appellari ab inferiori ad immediatum superiorem.
- 2 Non potest de jure civili appellari omisso medio; quod est praxi tribunalium saecularium est conforme.
- 3 Vetus in Parlamento Mechlinensi recipere appellationes Flandrorum omisso medio.
- 4 Appellationes omisso medio etiam jure Canonico vetatae.
- 5 Admittit tamen immediatè ad Pontificem omisso medio.
- 6 In Gallia non admittitur appellatio ad Pontificem omisso medio.
- 7 Quomodo gradatim appellari debeat?
- 8 Appellatione devoluta ad Sedem Apostolicam, debet causa committi iudicibus delegatis in Partibus ex Concordatis Galliae.
- 9 Eadem est Praxis Belgii.
- 10 Hinc evitantur incommoda, quae ex appellatione ad Pontificem omisso medio urgebat Gropperus.
- 11 Appellatione coram Pontifice introducta, & causa decisa, ulteriori appellationi adhuc locus est.
- 12 Quae ratione causa in prima instantia aut secunda coram Pontifice decisa, dentur ulteriores appellationes sine detrimento Primatus Sedis Apostolicae?
- 13 Per appellationem immediatè ad Pontificem non minuantur appellationes.
- 14 Ex Constitutione Justiniani appellari debet intra 10. dies à lata sententia.
- 15 Haec constitutio recepta est à Jure Canonico, etiam in appellatione ab actu extrajudiciali.
- 16 Consonat & passim stylus Curiarum.
- 17 Assentientia D. Rectoris Academiæ appellandum intra triennium.
- 18 De jure appellari potest viva voce iudice adhuc sedente pro tribunali: sed id non ubique hodie licet.
- 19 Debet appellari in scriptis, si non incontinenti appelletur.
- 20 Habebunt dicta consonant Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mech.
- 21 De jure debent intra statutum terminum peti litterae dimissoriae sive apostoli.
- 22 Unde haec litterae dicti apostoli.
- 23 Triplex genus apostolorum.
- 24 Quis intra tempus non peti apostolos, censetur renuntiare appellationi.
- 25 Olim peti debebant iteratò per distincta tempora; hodie petuntur scriptis unico contextu.
- 26 Potest iudex à quo petuntur apostoli, accipere terminum juris vel alium terminum praesigere.
- 27 Iudex non facile recusare potest apostolos reverentiales.
- 28 Ordinatio Curiae Rectoralis de non respondendo de refutatoribus.
- 29 In Curia saecularibus dicitur usus apostolorum: qui nec in Curia Ecclesiasticis in Gallia necessarii sunt.
- 30 Ad introducendam & finiendam appellationem Justinianus annum indulgit, & ex causa biennium.
- 31 Hic terminus etiam jure Canonico probatus.
- 32 Etiam quoad appellationes ab actibus extrajudicialibus.
- 33 Terminum introducendae appellationis à jure statutum iudex à quo ex causa abbreviare potest.
- 34 Terminus à iudice praefixus dicitur terminus hominis.
- 35 Unde hi termini dicantur fatalia appellationum?
- 36 Fatalia à jure praescripta praesertim finiendis causis appellationum in desuetudinem abierunt.
- 37 Fatalia introducenda & prosequenda appellationis ferè

- ferè singularum Curiarum Ordinationibus sunt præfixa.
- 38 De Fatalibus introducenda appellationis ex Ordinatione Parlamenti Mechliniensis.
- 39 Quæ sint in Curia Brabantia.
- 40 Specialis praxis Curiaë Hannonia.
- 41 Quæ fatalia in Curia Ecclesiasticis Provincia Mechliniæ præscripta?
- 42 Quod observandum in Curia Reftorali?
- 43 Contra lapsum fatalium non facile danda restitutio.
- 44 Appellatio debet à iudice declarari desertio.
- 45 Quæ ab Actore petenda & quomodo probetur desertio.
- 46 In causa appellationis de jure communi possunt nova facta allegari, congruitque praxis inferiorum Magistratum.
- 47 Appellatio insistit à in supremis Curia causa decidenda est ex actis prima instantis si causa in scriptis instruita fuerit.
- 48 Quid circa hunc articulum obtineat in Flandria?
- 49 Quid in Curia Reftoris & Conservatoris Academici?
- 50 In Curia Ecclesiasticis nova facta allegari possunt.
- 51 Ex Decreto Synodi Tridentine tenetur Appellans acta coram iudice à quo transferre ad iudicem appellationis.
- 52 Quomodo puniendus Notarius aut iudex copiam actorum dare recusans?

Forma appellationis imprimis est, ut appellatio fiat ab inferiore ad superiorem, & quidem immediatam; uti aperte jam pridem leges præscripserunt; adeo quidem, ut Imperatores Antoninus & Verus rescripserint in L. 2. ff. De Appellat., appellationes quæ rectè ad Principem factæ sunt, omiſſis his ad quos debuerunt fieri, ex imo ordine ad Præsides remitti. Idemque rescripserunt ab iudice, quem à Præside Provincia quis acceperit, non rectè ad Imperatorem appellatum esse; idemque eum reverenti ad Præsidem debere.

II. Hinc concludunt communi suffragio Interpretes, de Jure Civili appellari non posse ad iudicem superiorem, etiam Principem, usque Senatam omiſſo medio; quod & hodie tribunalia sæcularia observant; nec solent Concilia Regia appellationes ab inferioribus Magistratibus omiſſis mediis recipere, nisi in singularibus quibusdã & exceptis casibus.

III. Unde & Edicto 7. Octob. 1523. inhibuitur fuit Parlamento Mechliniensi recipere appellationes Incolarum Flandriae omiſſo medio. Verba Edicti sunt: *Avons ordonné, & ordonnons par ces presentes, que lesdictz de nostre Grand Conseil, ne despescheront, ne pourront despescher doresnavant, aucuns reliefemens d'appel ou reformation des sentences & appointemens interlocutoires & definitifs, renduz en nostre dit Pays de Flandres, par quelque loy que ce soit, omiſſo medio, pour en avoir & retenir par devers euls la cognoissance. Ains voulons & ordonnons, que la cognoissance des causes & proces audict cas d'appel ou reformation demeure & appartiens aus Juges ou Loix dudit pays & à chascun par degré respectivement, quy en ont occouſumè & en doivent cognoſtre.* Id est: Mandavimus & mandamus per præſentes, ut prædicti magni nostri senatus Consilii, non concedant aut concedere possint literas ad persequendam provocacionem, aut ad reformandas sententias, aut interlocuciones decretorias, aut definitivas pronuntiatas in dicta nostra Flandriae Provincia, qualicumque; lex obtendatur, omiſſo medio, ut ipsi de causa cognoscant, sed volumus & mandamus ut causatum & litium cognitio, in casu dictæ provocacionis aut reformationis spectet & fiat ad iudices, & Leges patrias, & ad eos gradatim respective, quide iis & solent & debent cognoscere.

IV. Secundum Jus Civile etiam sæpius responderunt Pontifices in causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus. Et quidem cum quidam appellarent à sententia Archidiaconi ad Metropolitanum, omiſſo Diocæsano Episcopo ad

quem fuerat gradatim appellandum, ipseque Officialis Archiepiscopi non obstante exceptione per Partem adversam opposita processisset, Honorius III. mandavit quibusdam iudicibus à se delegatis, quatenus sententias post huiusmodi appellationem latas denuntient penitus non valere. Idem jus asseritur in Cap. 1. §. 1. De Appellat. in VI.

V. Verum in hoc Jus Canonicum à Civili recedit, quod cum hoc nequidem ad Principem immediatè, omiſſo medio, appellari permittat, Jus tamen Canonicum concedat appellationem ad Pontificem Romanum omiſſis mediis, Cap. fin. De Foro comp. Cap. 7. §. 54. De Appellat. Quod conforme est Canonibus, qui sub nomine primorum Pontificum referuntur apud Gratianum *Caſ. 2. q. 6.* & supra capite præcedenti relati sunt.

VI. In Gallia ex Concordatis inter Leonem x. & Franciscum I. appellatio omiſſo medio nequidem ad Pontificem admittitur. Verba concordati sub titulo *De Frivolis Appellat.* sunt, Volumus quod si quis offensus coram suo iudice justitiam complementum habere non possit, ad immediatum superiorem per appellationem recursum habeat; nec ad aliquem superiorem, etiam ad nos Leonem x. & Successores nostros, vel Sedem Apostolicam prædictam, omiſſo medio.

VII. Hic articulus desumptus ex Sanctione Pragmatica tit. *De Causis*; notatque hic Glossographus, verbo *medio*, gradatim esse appellandum, id est, ad eum qui in gradu proximo est superior eorum, quo appellatur; puta ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad Primate, ab illo ad Papam.

VIII. Additur in iisdem Concordatis, Si quis verò immediate subiectus Sedi Apostolicæ, ad eandem Sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum, usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem includivè, si ab illis appellari contigerit. Nisi propter defectum denegatæ justitiæ, aut justitiam metum & tunc committi debeat in partibus convicinis, & cum causatum expressione. Quæ etiam de illis, etiam legitime aliis quam per iuramentum, coram iudicibus à Sede Apostolica deputandis constare debeat. Processus autem contra præmissa attentatos, nullos & irritos esse volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes, in expensis, damnis & interese condemnari debere decernimus atque declaramus.

Notat hic Rebuffus, quævis iste textus loquatur in subiecto immediate Sedi Apostolicæ, tamen idem in hoc Regno, in alio quocumque; appellante ad Papam obtinet, ut causa debeat in partibus committi, & si contrarium fiat, ad Senatum appellatur tamquam in abusu.

IX. Hoc iure utimur quoque in Belgio; ut nimirum causæ quæcumque; ratione devolute per viam appellationis ad Sedem Apostolicam committi debeant iudicibus delegatis in partibus, uti fufius ostendimus supra titulo 5. c. 3.

X. Unde licet in Belgio admittatur subinde appellatio ad Sedem Apostolicam omiſſo medio, nihilominus cavetur incommodum, quod contra huiusmodi appellationes ad Superiorem omiſſo medio in Concilio Tridentino urgebat Gropperus; quandoquidem stante hac Belgica disciplina, nequaquam ex simili appellatione sequatur, extra territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiendi necessitas; quemadmodum urgebat Gropperus.

XI. Ex supra relatis verbis Concordati intelligitur, quod licet causa in prima aut secunda instantia fuerit introducta coram Sede Apostolica, nihilominus possit à lata sententia sæpius appellari, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem: quod & in Belgio constantissimè observatur.

XII. Licet enim appellatio institui nequeat, nisi ab inferiore ad superiorem; adeoque non videatur à Sede Apostolica ad alium iudicem appellari posse: quemadmodum à sententia Principis, sive supremi ejus Senatus ulterior appellatio non admittitur: tamen receptum est, à Sede Apostolica

lica appellari, non quidem ad alium iudicem superiorem; sed ad eandem Sedem Apostolicam seu Pontificem melius informatum solent; novum Rescriptum à Pontifice sive e. jus in Partibus residentem Nuntio vel Pronuntio impetrari, quo alius iudex in Partibus delegetur; qui de causa appellationis rursus cognoscatur; potestque appellatio sic toties reiterari, quousque habeantur tres sententiæ conformes.

XIII. Quæ res notat Franciscus Salgado *De Profectione Reg. parte 3. c. 16. n. 68.* quod licet hodie in foro sæculari raro aut nunquam accidere possit, ut super aliqua causa dentur quinque sententiæ, cum post primam aut secundam instantiam recuratur ad superiorem Prætoriam ubi causæ per duas dumtaxat sententiæ finiuntur, secus tamen esse in foro Ecclesiastico, ubi omnes gradus reperiuntur per rescripta impetrata: hoc est, ope impetrationis rescriptorum, appellationes ita instituantur, ac si vera tot essent gradus Superiorum, ad quos ab inferioribus per gradus appellatio progrediretur: adeoque nec per appellationem ad Sedem Apostolicam causa acceleratur; aut appellationes minuuntur.

XIV. Olim statutum fuit, ut si quis in iudicio propriam fuerit causam prosecutus, atque superatus voluerit provocare, eodem die vel altero libellos appellatorios offerre deberet, is verò qui negotium tueret alienum, etiam tertio die provocare possit. *L. 6. §. 5. Cod. de Appell.* Sed Justinianus hoc jus mutavit, constituitque *Novella 23. c. 1.* ut omnes appellationes indistinctè intra 10. dies à recitatione sententiæ instantenter liceat: qua Novella desumpta est Authentica *Hodie* subiecta citato §. 5. diciturque; Hodie autem culibet tribuitur spatium decem dierum à sententiæ revocatione committendum.

XV. Hæc Justiniani Constitutio probata est etiam de Jure Canonico; declaravitque Bonifacius VIII. in *Cap. 8. De Appellat. in VI.* quod ab actibus extrajudicialibus, in quibus potest appellatio interponi, debeat provocatio fieri intra decem dierum spatium, scilicet à die scientiæ gravaminis illati.

XVI. Quod & moribus Belgii, & Curiarum Ordinationibus consonum esse ostendit Christianus ad Baguonium *de Legibus abrog. lib. 2. c. 130.* & notatur expresse *art. 583. Ordin. Curia Brabantia*; numerans dies illos à die latæ sententiæ, vel à die quâ scivissent sententiam latam fuisse. Vide etiam Merulam in *Praxi Curia Hollandia lib. 3. cap. 11.*

Ex Statuto hujus Universitatis à sententia D. Reftoris appellandum est intra triduum ad Dominos quinque iudices Appellationum.

XVII. Interponenda autem ita est appellatio, ut de ea interposita apparet; non tamen necesse est, illam præsentare iudici sedenti pro tribunali, sed potest ubique præsentari; imò sufficit illam præsentare actorum Magistro seu Notario in absentia iudicis, ut ait Maranta *parte 6. act. 2. numer. 134.*

XVIII. De jure communi à sententia, mox ut lata est, potest viva voce, id est, iudice adhuc sedente pro tribunali appellari. *L. 14. Cod. De Appellat.* sufficitque dicere, *appello L. 2. ff. eod.* hocque scribi in actis per Notarium seu Graphiarium tunc Secretarium Curia. Notat tamen Simon A Groenevegen ad citatam *Legem 14.* quod, nonnullorum locorum moribus viva voce appellare in facie iudicis nefas sit, Mores & consuetudines, nec non Ordinationes singularium Curiarum in his observanda sunt.

XIX. Si non fuerit incontinenti viva voce appellatum, tunc interponenda est scripto appellatio. *L. 3. ff. eod.* idque per libellum, qui continet à quo appellatur, adversus quem à qua sententia. *L. 1. ff. ff. eod.* Vide Imbertum *Instit. forens. lib. 2. capit. 1. Andream Gayl lib. 1. observat. 130.*

XX. Hæc omnia expressa sunt in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provincia Mechliniæ, *art. 1. §. 1.* Quæ gravatum per prioris iudicis sententiam se tenet, potest appellare, verbaliter illico apud acta, iudice qui sententiam tulit ad-

huc pro tribunali sedente; alioquin in scripto iudici intra decendum à lata sententia instantando; & appellatio alia, interposita nulla erit, neque causam ad superiorem devolvit.

XXI. Non sufficit autem appellatum esse statim aut ex intervallo, nisi etiam appellans intra statutum tempus petat Apostolos, id est, litteras dimissorias, quas iudex à quo appellatum est, transmittit ad iudicem ad quem appellatum est, in testimonium & fidem appellationis interpositæ.

XXII. Dicuntur ergo Dimissoria, quia, ut dictum est, pet eas causa transmittitur ad iudicem, qui appellatus est. *L. 106. ff. De P. S. & L. unica ff. De Libello dimissorio*; ubi & Apostoli vocantur à Græco ἀποστολα, quod est mitto, quia mittuntur ad iudicem ad quem, ut de causa appellationis institui possit, ait Andreas Vallensis ad tit. De Appellat. §. 10. n. 2.

XXIII. Apostoli hodie sunt in triplici differentia. Primi dimissorii, qui sunt litteræ ad iudicem appellatum directæ, testificantes de appellatione coram iudice à quo, vel aliis personis legitimè interpositæ & admittæ.

Alii sunt Reverentiales, quando non ob justitiam causæ, sed solum ob reverentiam Superioris ad quem appellatum est, deservit appellatio; hi que hodie ordinarii, & pene soli in usu sunt.

Refutatorii denique; sunt, quibus iudex à quo significat iudici ad quem, se non admittit appellacionem, de quibus in *L. fin. §. IN REFUTATORIIS Cod. De Appellat.*

XXIV. Hodie, ab eo, qui appellat, intra 30. dies instanter Apostoli peti debent, & eidem intra dictum tempus à iudice exhiberi; aliàs præsumitur appellacioni suæ renuntiare Appellans, si eos intra idem tempus petere prætermittat, etiam si vadat, aut mittat ad appellacionem huiusmodi prosequendam. *Capit. 6. De Appellat. in VI.*

XXV. In eodem Capitulo non obsestè indicat Pontifex quod Apostoli instanter per diversa tempora petendi sint; sive sæpius apud iudicem pro his obtinendis instantandum; quod & supponitur in *Clem. 2. eod.* ubi dicitur: Quamvis rigor juris exposcat, eum qui appellat debere petere Apostolos congruo loco & tempore, sæpius & instanter: Nos tamen antiquam & communem observantiam litigantium sequi & æquitatem rigori præferri volentes, decernimus sufficere quod per appellantem simul uno contextu Apostoli instanter & sæpius postulentur.

Hoc nunc iure utimur, solentque unico contextu peti Apostoli hæc serè formula: *Peto responderi de Apostolis instanter, instantius, instantissimè.*

XXVI. Potest iudex à quo petuntur Apostoli assignare petenti certum terminum, aut etiam terminum juris ad recipiendos Apostolos; intra quem si instanter, & sæpius, saltem uno contextu non petat, vel recusat recipere oblatos, appellacioni suæ appellans renuntiare censetur, dicta *Clement. 2.*

XXVII. Additur in eadem Clementina, Quod si iudex in termino ad dandum apostolos præfixo per eum ipsos appellanti petenti non dederit; aut si dum peterentur Apostoli, responderit se daturum eisdem, nullo termino certo sibi præfixo; vel intra juris terminum se eos asseruerit velle dare, & postea per appellantem congruo loco & tempore sæpius & instanter uno contextu etiam requiritur, eos non curaverit intra eundem terminum exhibere, reappellacionem suam ex tunc prosequi possit appellans, ac si expressè fuissent eidem Apostoli denegati.

Hic satis innuitur, ordinariè appellacioni deservendum; neque facile de refutatorio esse respondendum; præsertim si sit sententia definitiva de se appellabilis: quia de justitia sententiæ jam lata ulterius ipse iudex à quo iudicare non potest; sed iudici ad quem iudicium permittere debet.

XXVIII. Unde in Ordinationibus Curiarum DD. Reftoris & Conservatoris Privilegorum hujus Universitatis *art. 59.* decernitur: Quoniam lites sæpius oriuntur super Apo-